

motuum scrutatione experiris. Age igitur cum Lunaris cursus inquisitio operosa sit, uide quot & quibus egeat adminiculis. Illa ipsa definiã hic, ut prius. In Sole tu si contemplationes Astro-
nomicas nunquã antea degustasti, finitiones confer ad Schema quod subposui, & oculis ducibus ad rem penetrabis. Linea medi-
j motus Lunæ illa est, quæ à centro mundi per centrum Epi-
cycli ad Signiferũ protrahitur. Linea autẽ motus ex eodem
centro mundi ducitur, extenditurq; ad Sig-
iferum, per centrũ
corporis Lunæ. Vides discrimen, Altera per centrum Epicycli
transit, Altera per centrum corporis Lunæ. Iam definitur me-
dius motus Lunæ, non aliter, q; definitus medius est in Sole.

Arcus namq; est Zodiaci, ab Arietis principio incipiens, & in
Lineam mediã desinens. Eodem modo, uerus motus Lunæ arcus
est Zodiaci, à principio Arietis ad Lineã ueri protensus. Cen-
trum porro Lunæ dicitur distantia lineæ mediã motus Lunæ, ab
auge ecentrici, iuxta signorum consequentiam. Et quando scire
hic quoq; referat, quantum elongetur centrum Lunæ, à puncto
mediæ augis in Epicyclo, Sciendum est, auge mediã Epicycli
punctum esse in Epicycli ambitu, quẽ quidem punctum Linea
exorta in loco ecentrici opposito, ductaq; per centrũ Epicycli
ostendit. Locus ille siue punctus, centro ecentrici oppositus, ui-
situr in circumferentia parui circuli, quẽ centrum ecentrici de-
scribit, circa centrum mundi ad motũ orbium deferentium Lu-
næ apogeion & epigeiõ, signaturq; infra C litera. Auxuera E-
picycli, punctus est in eadem Epicycli circumferentia, quem li-
nea à centro mundi, per centrũ Epicycli ducta indicat. Aequa-
tio centri est arcus Epicycli inter ueram & mediam eius auge.
Argumentum uerũ, spacium illud in Epicyclo interiectum di-
citur, quod est à uera auge ad centrũ Lunæ. Est autẽ supputandũ
in eam semper partem, ad quã Luna uergit. Medium argumen-
tum arcus dicitur in Epicyclo, qui est inter auge Epicycli me-
diam, & centrum Lunare. Differentia inter hæc duo argumẽta,
dicitur æquatio centri. Sed ipsa argumenti æquatio arcus est in
Zodiaco